

1539 Gallico sermone , ordinario legato interprete , Regis nomine eadem est proloquitus . Princeps , illorum adventum pergratum Reipublice fuisse , denuo humanissimis verbis testatus , ut moris est , quæ ea in Republica sententia esset , Senatum declaraturum . Tum Vincentius Capellius , divi Marci procurator , consilii , ac Franciscus Superantius , continentis Sapientes , præconsultorum sui ordinis ea hebdomada præsides , interrogarunt , quo loco pacis negotium ? quæ leges concordiaæ inter Reges forent ? quinam bellici apparatus ? quove tempore in promptu omnia , atque instructa haberent ? Ad hæc Vastius , arcto adeo amicorum Regum voluntates vinculo adstringi , inquit , ut jam pax pro confecta haberetur : de bellico apparatu nihil a Cæsare in mandatis habere ; verum quod toties dictum fuerat , id repetitum , vel inferendo , vel excipiendo bellum administrari posse : si de inferendo ageretur , cum tempus usque eo processisset , difficile admodum , ut hostium fines iuvaderentur , censere . Ceterum ad defensionem quamprimum omnia comparari atque urgeri oportere ; clas- ses instruere , pecunias cogere , militum delectum haberi : demum ad conserendas cum hoste manus certa , atque haud difficiili victoriae spe accingi : nam , Republica una cum foederatis in id incumbente , cuncta prospera , ac felicia procul dubio eventura . In eandem sententiam Hanebaldus de mutua Principum benevolentia differuit : nihil sibi de iis , quæ ad bellum a Rege pararentur , in mandatis datum : ut Reipublicæ mentem , atque ea , quæ in expeditionem Turcicam moliretur , intelligeret , Venetas proficisci jussum . Ex his , quo Principum consilia tenderent , quibusve difficillimi , ac periculosisimi belli fundamenta viribus , quave spe subnixa essent , haud obscure intelligebatur : pacem ostentare : ad bellum Rempublicam inflammare : spes ingentes objicere ; cum interim obstinata animorum contentione de Insubrum imperio disceptarent , atque in propinquum ver nulla auxilia , nulos militares apparatus edidissent ; regnandique artibus se , atque alias eluderent , ac deciperent : inde Franciscus nunc benevolentiae , ac necessitudinis officiis Carolum demulcere adortus , in Belgium proficiscentem , ut Lutetia iter haberet , secumque congrederetur , invitare : nunc Suleimani amicitia ad illius

con-